



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 Quale ieiunium seruandum sit ante communionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Epiphani. Naz. Chryso. Augustin. Hier. Conc. Afric. Carth. III. De arch. I. Vi. Synod. Conc. Ma. Lyon. Brach. II. Tol. VI. Alifod. Constant. De iuratio. ant. commu. nionem ser. uida prae. ceptum ab Ec. clesia opti. mo iure im. positum. Hereticorū fundamenta de uanitat.

fiam. Probatum primo ex his, quae antiquissimi Patres memoriae prodiderunt. Epiphani. eim lib. 3. contra haereses in fine; & Nazianz. orat. 40. quae est de Baptismo, sub finem; & Chryf. hom. 27. in 1. ad Corinth. & Basl. in epist. ad Caesariam Patriciam, hanc numerant inter Apostolicas traditiones. Vnde Aug. epist. 118. c. & ex eo Hierod. lib. 1. de officiis Ecclesiast. cap. 18. Placuit Spiritui S. per Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Idem Cyprian. ep. citata 63. Ambr. ser. 8. in Pf. 118. circa illa verba, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Tertul. lib. 2. ad uxorem, cap. 5. in illis verbis, Non sciat maritus, quid ante omnem cibum gustas. Secundo idem constat ex antiquissimis Conciliis, Africano c. 8. Carth. III. c. 29. in quibus tamen excipitur dies Domini, atque in eo permittitur post sumptum cibum communicare. Sed hoc ipsum reuocatur in Concil. Bracharenf. l. c. 16. expressius in VI. Synodo, can. 29. vbi dicitur, Patres Concilij Carthaginensis vfos fortasse fuisse illa exceptione propter speciales occasiones in ea regione occurrentes: simpliciter tamen non oportet Apostolicam traditionem, etiam in eo die, immutari. Praeterea in eodem Concilio Carthag. III. cap. 48. dicitur, hanc consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in Concilio Niceno confirmatam. Vbi est animaduersione dignum, non dicere, fuisse institutam, sed fuisse confirmatam, idem traditur in Concil. Matissonensi. l. c. 6. vbi adduntur poenae in eos, qui hunc ritum non seruauit, quae solum ad Sacerdotes sacrificantes pertinent, nam de illis ibi praecipuus sermo est. Quod etiam colligitur ex Concil. Brach. II. c. 10. Dicitur autem ibidem, reliquias huius sacramenti solitas fuisse dari in octentibus quarta vel quinta feria, indicto prius eis ieiunio. Praeterea habetur eadem traditio in Concilio Tol. VI. l. c. 2. in quo notanda sunt illa verba, Post cibum vel potum quantumuis minimum. Idem habetur in Concil. Alifiodorenf. cap. 19. vbi etiam ministri altris prohibentur post cibum & potum ministrare. Denique idem traditum est in Concil. Constant. sessio. 13.

Dico secundo, recte ac conuenienter ab Ecclesia praecipuum esse, ut hoc sacramentum tantum a ieiunio sumatur. Est de fide, & in primis certum est, esse in Ecclesia hanc potestatem ad ferendas leges, etiam in his rebus, quae a Christo praecipuum non sunt, ut supponimus ex materia de fide, & de legibus. Quod autem hic actus, & hoc obiectum sint apta materia legis positivae, probatur, quia in illis est sufficiens honestas, & quia hic ritus ad reuerentiam huius sacramenti conferre potest: ergo de potestate, tam generali, quam particulari circa hunc actum dubitari non potest. Quod autem Ecclesia vna fuerit hac potestate, satis constat ex decretis adductis, & ex consuetudine: ex qua etiam satis constat, hanc legem fuisse conuenientissimam. Nam Ecclesia a Spiritu sancto regitur: & ideo dixit Augustinus, non nisi Spiritu sancto inspirante, hanc legem, & consuetudinem introducta esse. Congruentiae autem illius sunt. Prima propter reuerentiam huius sacramenti, & ut fideles assuecant discernere inter hunc sacrum cibum, & alios communies. Secunda, propter spirituales significationes, ut indicetur fidelibus, debere esse Christum primum, ac primum eorum cibum. Tertia, ad vitanda pericula vomitus, vel alterius irreuerentiae, & ut mens sit liberior, & expeditior ad res spirituales, & diuinas tractandas.

Ad primum haereticorum fundamentum, in superioribus agentes de institutione huius sacramenti, diximus, quas ob causas Christus illud instituit ad vesperam, & post esum agni, quae fuerunt propriae illius temporis, & illius indiuiduae actionis, & ideo quoque hoc, non debet factum illud in exemplum Franc. Suarez. Tom. 3.

adduci. Ad secundum ex 1. ad Corinth. 11. quidam concedunt, tempore Apostolorum fuisse consuetudinem communicandi post cibum, & potum, quod, licet gratis admitteretur, nihil nobis obstat: potuit enim postea propter maiorem reuerentiam sacramenti, illa consuetudo mutari, praesertim quia refrigerante charitate, & crescente fidelium multitudine, potuit hoc magis expedire. Secundo vere dicitur ex loco Pauli non colligitur talem consuetudinem, nam, cum Paulus dicit, Qui esuriet, domi manducet, non agit de modo sumendi hoc sacramentum, sed de ordine ac decencia seruanda in conuiuio communibus, quae tunc inter fideles solita erant fieri: huc etiam spectant illa verba, Cum conuehitis ad manducandum, in iuicem expectate: de eadem igitur tractans, subdit, Si quis esurit, domi manducet. An vero cibum sumeret ante vel post Eucharistiam susceptam, nihil de hoc Paulus disserit. Verisimile tamen est, fuisse consuetudinem, ut post Ecclesiastica officia, & communionem interdum fideles ad commune prandium conuenirent; & de hoc potest intelligi illud Pauli; Qui esuriet, domi manducet: id est, qui alios expectare non potest, domum redeat, & ibi manducet: vel si ita interpretemur, qui est ita debilis, ut non possit expectare commune prandium, domi manducet: non possumus propterea colligere, huic permittere Paulum, ut post cibum ad Eucharistiam accedat. Ad tertium, moraliter & generaliter loquendo, falsa sunt, quae in eo assumuntur, nam fortasse, licet in aliqua particulari persona, & in aliqua occasione iuare possit moderatus cibus & potus ad animae attentionem: tamen generaliter & regulariter non ita est, & praesertim si vulgaribus hominibus haec licentia tribuatur: leges autem morales feruntur de his, quae regulariter omnibus magis expediunt.

SECTIO IV.

Quale ieiunium seruandum sit ante communionem.

Duplex est ieiunium, ut D. Thom. hic, & 2. 2. quaestione 147. artic. 6. distinguit; vnum dicitur ieiunium naturae, quod includit carentiam seu abstinentiam ab omni cibo & potu: alterum dicitur ieiunium Ecclesiasticum: quod, nec priuat potu, neque omni cibo, nisi definitis temporibus, & in certa qualitate, & quantitate, permittitur, ut sumi aliquid possit, per modum medicinae. Referunt ergo fere omnes Scriptores, quosdam authores dixisse ante communionem satis esse Ecclesiasticum ieiunium seruare. Quae sententia tribuitur Godesfredo, & Ioann. Paris. qui dixerunt, post sumptionem alicuius rei per modum medicinae posse sacrum fieri, aut communicari: quia solum est prohibita sumptio cibi & potus: quod autem sumitur per modum medicinae, non habet rationem cibi: quia non sumitur nutritionis causa, sed curationis: intentio autem seu finis est, qui dat speciem actioni.

Godesfred. Ioan. Paris.

Dico primo, ante communionem necessarium esse ex Ecclesiastico praecipuum ieiunium naturae seruare, & contrariam sententiam erroneam esse: repugnat enim communi sensui & vsui Ecclesiae. Atque ita sentiunt Theologi omnes, D. Thom. hic articulo 3. ad 3. Scotus distinctione 8. quaestione 3. Durand. q. 4. Paludan. quaestione 2. Gabriel quaest. 2. articulo 2. & lectio. 10. in Can. Antonin. 3. par. titul. 13. capitu. 6. §. 8. & colligitur ex Concilio citatis, in quibus haec lex lata est, cuius optimus interpretes est Ecclesiastica consuetudo.

Conclus. D. Thom. Scotus. Durand. Palud. Gabr. Antonin.

Dico secundo; Quicumque cibus vel potus, etiam si sit in minima quantitate, & sub quacunque intentione medicinae, vel salutis, si tamen per modum cibi vel potus sumatur, impedit ex praecipuum communionem huius sacramenti. Ita docent praedicti Doctores. Et ita interpretatur praecipuum hoc

Conclus.

Conc. Tolet. VII. Brach. II.

prædicta Ecclesiastica consuetudo, & pars illa, de quantitate minima, expressa est in Conc. Tolet. VII. & Brach. II. supra citat. & colligitur ex ea. Ex parte de Celebrat. Missæ. ubi Sacerdos secundam Missam diciturus prohibetur in priori sumere calicis abluitionem, ne naturale ieiunium soluat, cum tamen illa sit minima quantitas, & non sumatur propter nutritionem, sed propter reuerentiam sacramenti. Sumptio autem ipsius sacramenti, quamvis ex speciebus possit homo nutriri, non computatur inter ea, quæ soluant ieiunium naturæ propter excellentiam sacramenti, quod non censetur commune corporis alimentum, & ideo illa non iudicatur sumptio communis cibi & potus.

Dubium.

Sed quaeres, quando minima quantitas cibi sumpta est, an tunc sit peccatum mortale, postea communicare. Quibusdam enim visum est esse tantum veniale, quia illa est leuis materia: cur enim non potest ex hoc capite peccatum veniale fieri in hac materia, sicut in alijs? Respondetur, esse mortale, & contrarium non esse probabile practice, si quantitas illa minima per modum cibi & potus sumpta sit. Atque ita sentit D. Thom. Durand. Palud. Soto, & alij. Et hoc idem declarat consuetudo Ecclesiæ, & communis consensus omnium fidelium: unde recte colligimus, ita esse interpretandum præceptum. Et propterea, quia hic non est leuitas materia in proprio actu, in quem cadit prohibitio: non enim hic prohibetur cibum vel potus, sed prohibetur communicatio post cibum, vel potus: hoc autem præceptum simpliciter violatur in suo actu principali, etiam si ieiunium in parua materia solutum sit.

Quaestio facta sit.

Quaeres rursus, quid sit sumi aliquid per modum cibi, & potus, & cur illa particula addita sit. Respondetur, additam esse ad excludendum, si quid sumitur per modum saluæ, aut, si per modum respirationis atrahatur aliquid, quod possit nutrire, vel alterare: hoc enim non violat ieiunium naturæ: quia illud non est comedere, vel bibere. Dicitur ergo aliquid sumi per modum cibi vel potus, quando aliquid huiusmodi ore accipitur, quod per se & propria actione vitali in stomachum traicitur comedendo, aut bibendo, & ita explicant hoc præceptum omnes auctores, & ipsa consuetudo. Vnde est primo, nihil referre, quod id, quod sumitur, per modum medicinae sumatur, quia hoc pertinet ad extrinsecam intentionem, non ad proprium actum, quem intrinsecè respicit præceptum, qui est comedere aut bibere: illa enim medicina vere comeditur, aut bibit: ergo, quacunque intentione fiat, frangitur ieiunium ad communionem necessarium. Secundo colligitur, si quis deglutiat sanguinem, aut alium humorem à capite in os descendentem, aut casu ex ore manantem, non frangere hoc ieiunium: quia illud nec sumitur, nec traicitur per modum cibi. Ita D. Tho. in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. quæstio. 2. ubi generalem tradit regulam, quidquid ab intrinsecò prouenit, & ore non sumitur ab extrinsecò, non vere comedi, & ideo nec tollere ieiunium naturæ: nec per se impedire susceptionem huius sacramenti.

Tertio inferitur, si quis eluendo os, casu deglutiat guttam aquæ, aut vini saluæ admixtam, hoc non impedire communionem: quia non traicitur per modum cibi, sed per modum saluæ. Dicunt tamen Durand. & Gabr. supra, necessarium esse, huiusmodi guttam aquæ prius in ore alterari, & in saluam conuertere. Sed hoc nimis scrupulosum est, & non necessarium nec morale, ut Palud. & Syluester notarunt: quomodo enim de hac transmutatione constare possit? Aduertit autem D. Thom. oportere, quantitatem aquæ, aut vini, esse valde paruam, quia debet ita permisceri saluæ, ut separari non possit, sed per modum vini traicere. Atque idem iudicium est de his, qui deglutant ius, vel aliquod simile condimentum, solum ut saporem percipiant, & statim expuant: nam licet conti-

gat aliquid manere saluæ permixtum, & cum ea deglutari, non soluitur ieiunium, quia illa non est comestio. Ita Doctores citati, præsertim Paludanus, qui fuisse hoc explicat. Denique idem dicendum est de reliquijs cibi casu manentibus in ore ex præcedenti nocte. Nam licet postea traiciantur, non soluitur ieiunium, quia neque censetur sumi per modum cibi & potus, sed per modum saluæ: nec censetur venire ab extrinsecò, sed ab intrinsecò, ac denique censetur pertinere ad comestionem, quæ præcedente die præcessit.

Dico ergo, si quis noctu misit in os aliquid, verbi gratia, sacchari paulatim deglutienti, quod duret vsque ad initium diei sequentis, non soluet ieiunium etiam si post mediam noctem aliquas partes traiciat; quia illud non sumitur illo die ab extrinsecò, nec traicitur per modum cibi, sed per modum saluæ. Respondetur negatiue consequentiam, quia illa non sunt reliquiæ cibi, sed verus cibus; & tota illa est quedam successiua masticatio, quæ ex parte fit eadem die: oportet ergo, ut tota manducatio per se & ex intentione absoluat per præcedente die: reliquiæ autem dicitur, quæ casu & præter intentionem in ore manent & traiciuntur, quod significauit D. Tho. in illo verbo, (si casualiter transglutiantur.) Et idem docet Palud. d. 18. a. 2. nu. 21. ubi significat, si contingat, reliquias cibi casu manere in ore vsque ad sequentem diem, & priusquam deglutiantur præuideri ab homine, sumptum non casu, sed ex certa scientia & intentione illas deglutare, hoc factis est ad violandum ieiunium, & impediendum communionem, quod tamen Summa Tabien. verbo Communione, reijcit, ut scrupulosum. Sed reuera non est improbabile, neque alienum à mente D. Tho. quia iam illa actio videtur esse noua comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed noua actio voluntaria fiat. Item, quia iam non videtur id sumi per modum saluæ: Quamuis ergo non sint scrupuli iniiciendi, tamen semper securior pars eligenda est. Et ideo consilendum est, ut in huiusmodi casu hæc particula expuantur potius, quam traiciantur.

Dico tertio: Hoc ieiunium hac lege præceptum est ex necessitate solum seruandum est intra eum naturalem diem, in quo fit communicatio, scilicet, ab initio eius vsque ad communionem, quia ut rectè dixit D. Thom. hic ad 5. non est absolute prohibitum hac lege, ne post cibum & potum sacramentum sumatur: alias qui semel comidisset, & bibisset, non posset communicare: ergo oportet, ut hoc ieiunium definitis claudatur terminis: declarat autem consuetudo Ecclesiæ, hoc tempus terminandum esse intra diem naturalem. Quod duobus modis potest intelligi: primo esse necessarium per integrum naturalem diem abstinere à cibo & potu ante communionem. Efficacius est falsus: alias oporteret viginti quatuor horis integris prius ieiunare, totidem enim naturalis dies integer conficitur: quod est contra Ecclesiæ consuetudinem. Superest ergo, ut secundus sensus verus sit, scilicet, quod à principio diei naturalis vsque ad tempus communionis seruatum sit ieiunium. Sed quaeres, unde computandum sit naturalis diei principium. Respondetur; in nostris regionibus rem esse satis claram: nam iuxta Ecclesiæ consuetudinem fundatam aliquo modo in ipsa rerum natura, naturalis dies à media nocte incipit: quia tunc incipit sol ad nos redire, ut alibi latius tractaui. Et idem dicendum est de omnibus regionibus, in quibus naturalis dies in diem artificialem, & noctem distinguitur, quia, sicut in ordine ad communes vsus, vel actiones, in diuersis regionibus diuersæ sint consuetudines sumendi initium diei ab occasu, vel ab ortu solis, tamen in ordine ad res Ecclesiasticas in vniuersa Ecclesia computatur dies à media nocte in mediam noctem: nec scio alicubi esse aliam consuetudinem: si tamen est, illa est seruanda, ut hic Soto notat. In illis vero regionibus

SECTIO V.

Quibus in casibus liceat post cibum & potum, hoc sacramentum accipere propter sumentis necessitatem.

Utrum hoc præceptum naturale non sit, sed positivum & Ecclesiasticum, certum est, posse interdum propter graves causas non obligare: quia lex positiva non obligat tam strictè, quin aliquando cesset. Duo ergo sunt præcipua capita, ex quibus maxime fieri potest, ut hoc præceptum non obliget. Vnum esse potest ex parte ipsius hominis, scilicet aliqua eius necessitas. Alterum ex parte ipsius mysterij: si ad illud consummandum, vel reuerenter tractandum, necessarium interdum sit, hoc ieiunium non omnino seruare. De priori capite dicemus in hac sectione, de posteriori in sequente.

In præsentem ergo quaestione, dicendum est in mortis articulo, & in solo illo, licere, homini non ieiunio hoc Sacramentum accipere propter necessitatem: quando, scilicet, oportet viaticum accipere, & agrotus non potest sine gravi detrimento, vel periculo ieiunius expectare, quod detrimentum seu periculum iudicio Medici expendendum est. Ita docent omnes authores supra citati. Ratio vero esse potest, vel quia in eo articulo obligat præceptum diuinum communionis, ut infra dicitur: vel certe, quia cum eo tempore maxime indigeat homo auxilio & ope huius sacramenti, non sicut expediret, ut Ecclesia id prohiberet, cum tanto dispendio. In qua re illud etiam morale est, & obseruandum, quamuis fortasse positivum vna vel altera hora post mediam noctem ieiunius accipere hoc sacramentum, amplius vero expectare non possit, non esse propterea necessarium ea intemptiua hora Sacramentum dare vel accipere: quia nec moraliter fieri potest sine magna difficultate, nec regulariter ad reuerentiam huius sacramenti expedit ita fieri, nec Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima huius legis interpretis, ita esse faciendum declarat. Illud etiam obseruandum est, huiusmodi casum non solum habere locum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quando nec anticipari potest communicatio, nec differri mors, vel supplicium, tunc enim eadem est ratio necessitatis. Nec quicquam refert, quod ab intrinseco, vel ab extrinseco proueniat.

Duo vero dubia hic occurrunt: primum est, an in eadem ægritudine liceat sapius Eucharistiam accipere post cibum & potum: nam Doctores fere omnes significare videntur semel licere. Et ratio adhiberi potest, quia per vnâ communionem fit satis diuino præcepto communicandi in articulo mortis: ergo postea seruandum est Ecclesiasticum præceptum non communicandi post cibum & potum: quia iam nulla est sufficiens necessitas vel ratio, cur cesset huiusmodi obligatio. Nihilominus aliqui recentiores dicunt, licere communicare hoc modo sapius in eadem ægritudine. Quam opinionem tenet Summa Tabien. verbo, Communio. §. 48. & Summa Armilla, §. 18. Et mihi videtur pia satis & probabilis, & imprimis, si status ægritudinis varietur: quia videlicet, homo prius fuit in periculo mortis, atque illud euasit, & aliquantulum conualuit: postea vero iterum incidit in simile periculum: & tunc non est dubium, quin possit iterum atque iterum totiesque communicare, quoties talis varietas acciderit: quia illa censetur, quasi noua ægritudo, & nouus necessitatis articulus. Deinde, si perseveret vel augeatur, periculum tamè duret aliquot diebus post primam communionem, verbi gratia, octo aut decem diebus existimo posse postea communicare post cibum & potum, si agrotus commode non possit Sacramentum suscipere ieiunius. Ratio est, quia non sola obligatio diuini præcepti est in causa, ut Ecclesia in eo articulo non obliget ad ieiunium, sed etiam ipsa necessitas, quæ in illo tempore & periculo maxima

Zzz 4 est:

regionibus, ubi non possunt distingui naturales dies per ortum & occasum solis: quia, vel præsentia, vel absentia solis continue durat per plures dies naturales nostros, in illis, inquam, regionibus oportebit lege Ecclesiastica designari, seu diuidi dies proportionatos nostris diebus naturalibus, eorum principia, & fines modo aliquo artificiali designando, ut in simili quaestione iterum infra dicemus, agentes de hora sacrificandi.

Sed quid si, quamuis post mediam noctem nihil sumptum sit, tamè vel ob carentiam somni, vel propter nimium cibum, ita sit homo indigestus, ac si eadem die, vel parum antea comidisset. Quidam enim dixerunt, hanc dispositionem non minus impedire communionem, quam, si cibus sumptus esset eadem die. Quod significauit Glossa in cap. Nihil. 7. quaest. 1. propter can. Tribus, de consecr. dist. 2. ubi dicitur, hunc sacrum cibum non esse profanis cibis miscendum, & idem colligitur ex Gloss. in c. Si constiterit, de accusationibus, quæ in illo textu fundatur, in quo punitur Sacerdos, qui post cibum præcedente nocte sumptum, nulla dormitione interposita, Missam dixerat sequente die. Respondetur tamen, hoc non esse per se malum, quia reuera nullo est iure prohibitorium: finis enim præcepti non cadit sub præceptum, sed materia: quod autem hic præcipitur solum est, ut eo die nihil cibi vel potus ante communionem sumptum sit, & hoc seruatur in eo casu: quod autem homo hoc fit vel illo modo dispositus, pertinet ad finem præcepti, non ad rem præceptam, & ita est intelligendus ille Canon. Tribus. Seclusa autem positua prohibitione hoc non est per se, & ex obiecto malum, ut ex se constat. Dico autem, per se, quia ex accidente, si sit periculum vomitus, vel alterius similis irreuerentia, vnde poterit contrahi aliqua malitia. Et hinc etiam fit, non esse necessarium, ut interponatur aliquis somnus, quia nullum est de hoc præceptum: & interdum sancti viri traducunt integras noctes in somnes in vigiliis, & orationibus, & statim sacrum faciunt. Neque in dicto cap. Si constiterit, punitur Sacerdos propter solam carentiam somni: sed quia tota præcedente nocte in tabernâ fuerat, & inde iur ad publicam Missam cantandam: punitus ergo propter scandalum, & propter irreuerentiam: & quia vehementer præsumptio esse poterat, etiam post mediam noctem aliquid comedisse, vel bibisse.

Ex quo tandem addendum est cum D. Thom. hic: hac lege non esse prohibitum, ne post communionem cibus sumatur post tempus aliquod, quia hæc lex solum requirit ieiunium antecedens, non consequens communionem: præcipitur enim ieiunium, tanquam dispositio ad ipsam communionem, in qua maxima deuotio ac præparatio hominis requiritur, & ideo præceptum est hoc ieiunium vsque ad communionem, qua finita, cessat hæc obligatio: & reliquum tempus relinquatur hominis arbitrio, vel naturali obligationi: ex qua sola colligi potest, non posse esse per se malum statim post communionem aliquid cibi vel potus sumere, cuius signum est, quia in Missa, statim post communionem, ablutionem sumimus, quod in illa actione non solum licet, sed etiam decet, quia non tam propter corporis refecutionem fit, quam propter ipsius sacramenti reuerentiam. Alias vero expedit regulariter post communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abstinere propter maiorem deuotionem, maioremque sacramenti reuerentiam. Sic Chrysostomus homilia 25. in 1. ad Corinth. scribit. Quid igitur ieiunare oportet post eius acceptionem? Non hoc dico, nec cogo, licet bonum sit: non tamen compello, sed admo-
neo.

In solo mortis articulo non ieiunio com muni- catio licet.

Dubium.

Sum. Tabi. Armilla. Solutio.